

est, non pars. Itaque docet et liberalitatem sine benevolentia, et benevolentiam sine liberalitate non esse perfectam. Unde ad perfectum hortatur, dicens: «Nunc ergo et facere consummate, ut quemadmodum prompta est in vobis voluntas faciendi, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, acceptum est, non secundum quod non habet. Non enim ut aliis refectio sit, vobis autem angustia: sed ex æqualitate in hoc tempore, vestra abundantia ad illorum inopiam, ut illorum abundantia sit ad vestram inopiam; ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit: et qui modicum, non minoravit.»<sup>1)</sup> Advertimus quemadmodum et benevolentiam, et liberalitatem, et modum comprehendit, et fructum, atque personas. Ideo modum, quia imperfectis dabat consilium; non enim patiuntur angustias, nisi imperfecti. Sed et si quis Ecclesiam nolens gravare in sacerdotio aliquo constitutus aut ministerio, non totum quod habet, conferat; sed operetur cum honestate quantum officio sat est, non mihi imperfectus videtur. Et puto quod hic angustiam non animi, sed rei familiaris dixerit. De personis autem puto dictum: «Ut vestra abundantia sit ad illorum inopiam, et illorum abundantia ad vestram inopiam;» id est, ut populi abundantia sit bonæ operationis ad illorum sublevandam alendi inopiam: et illorum abundantia spiritalis adjuvet in plebe inopiam meriti spiritalis, et conferat ei gratiam. Unde exemplum optimum posuit: «Qui multum, non abundavit: et qui modicum, non minuit.» Bene hortatur ad officium misericordiæ omnes homines istud exemplum; quoniam et qui plurimum auri possidet, non abundat; quia nihil est quidquid in hoc sæculo est: et qui exiguum habet, non minuit; quia nihil est, quod amittit. Res sine dispendio est, quæ tota dispendium est.

1) 2 Cor. 7.